

ipso penitus irrequisito, erectum fuerit, et cultui divino, praevia tantum, ut asserunt, eorum Superioris benedictione dicatum. Omnibus itaque perpensis non graventur Eminentiae VV. pronunciare:

I. *An liceat Patribus Carthusianis retinere Oratorium ad celebrandum seu celebrare faciendum Missae Sacrificium in Grancia Turricis in casu?*

II. *An Exteri audientes Missam in eodem Oratorio celebratam diebus festivis satisfaciant praecepto in casu?*

S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative praevia tamen visitatione Episcopi ad formam Indulli.

Ad II.: Affirmative quoad existentes tantum intra Oratorium, et ad mentem.

Die 5. Martii et 30. Julii 1735.

Sutrina.

(Collegium et Institutum Discipulorum educandorum.)

(Conc. Tr. C. 18. S. 23. De ref.)

Facta fuit relatio hujus causae summaria precum in antedicta Congregatione habita die 21. Maii proxime praeteriti et responsum fuit: ponatur in folio pro prima Congregatione, etiam unica.

Factum autem ita se habet: Presbyteri Doctrinae Christianae Terrae Roncilionis habent in ea Collegium, in quo nedum ipsi habitant una cum Convictoribus, sed ad quod ulterius alii accedunt Discipuli, quos erudiunt ad tramites proprii, quod profitentur, Instituti; cumque praedicti Presbyteri Sanctissimo Domino Nostro supplicaverint pro facultate habendi in memorato Collegio Oratorium, ut in eo valeant Missas celebrare et Sacramenta administrare Convictoribus, Domesticis atque Discipulis, et fuerit a Sanctitate Sua remissus supplex Libellus ad hanc Sacram Congregationem, de more fuit

scriptum: Episcopo pro informatione et voto.

Retulit Episcopus Presbyteros praedictos laudabiliter se gerere in administratione Collegii et maximopere proficuum esse futuram licentiam Oratorii privati et praeter rationes ab Episcopo adductas in sua informatione, quae est impressa in sumario Oratorum, addi posset exemplum tum Seminarii Romani tum Collegii Clementini, quae consimili gaudent privilegio Oratorii, videlicet, in quo Patres Societatis Jesu et Patres Congregationis Somaschae, qui respective praesident administrationi Seminarii et Collegii, Missas celebrant, et in quibus Sacramenta administrantur Convictoribus atque Domesticis; rectae siquidem juventutis educationi nimis conferre videtur, quod Alumni Collegiorum ad publicas non accedant Ecclesias, ut in illis Sacramenta recipiant, et quia in quadam sententia A. C., quae etiam dicitur confirmata, re discussa in binis Congregationibus specialiter deputatis dictum fuit: licuisse Presbyteris Doctrinae Christianae Terrae Roncilionis habere Oratorium privatum ad effectum in eo exercendi opera sui instituti cum conditione tamen, ut in illo non ministrent populo Sacramenta, non habeant sepulturam, non retineant Campanas publicas nec eleemosynas quaerant pro Missis in eo celebrandis, contendit scribens pro iisdem Presbyteris sententiam hanc non obstare praesenti ipsorum petioni, tum quia proprium eorum institutum est, Pueros dirigere et confirmare in via mandatorum Dei et Ecclesiae, tum quia sunt parati ad adimplendas caeteras alias memoratas condiciones in sententia appositas. Adhaeret hisce fundamentis etiam Episcopus in sua informatione adeoque onus erit EE. VV. decernere: *An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum?*

S. C. C. resp.: Pro gratia Oratorii privati ad formam Sententiae et ulterius licere presbyteris plures missas qualibet die et etiam festis solemnioribus in dicto Oratorio celebrare et Sacramenta in eo Convictoribus Discipulis et domesticis, hoc est illis, qui actu degunt in Collegio et illi inseruiunt, administrare excepta communionem paschali.

Die 11. Junii 1718.

Leo PP. XII.

Expositum Nobis est a dilectis filiis alumnis Ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis in urbe Neapoli, se ab utriusque Siciliae rege obtinuisse partem monasterii ss. Severini et Socii ejudem urbis, e quo notissimis rerum vicibus fuerunt expulsi. Quum autem nullum inibi adsit privatum sacellum in monachorum commodum, qui saepe numero petunt urbem vel ad negotia monasteriorum gerenda vel ad valedudinem recuperandam, supplici cum prece a Nobis petiere ejus rei ergo apostolica venia muni.

Nos igitur oratores peculiari beneficentia prosequi volentes auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut in privato ejusdem monasterii sacello, ab ordinario Episcopo de more invisendo, dummodo ibidem aliud hujusmodi privilegium nequaquam vigeat, per quemcumque ex Congregationis Cassinensis presbyterum rite probatum, moderatoris venia, singulis diebus etiam solemnioribus divina hostia libere ac licite possit immolari, ita ut quicumque ex illius alumnis aliisque monasterio addictis diebus festis pietate, qua decet, incruento ibidem sacrificio intersit, *ab obligatione solvatur eidem publico in templo assistendi et ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur*; non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut nemini praeter eos, quos meminimus, indultum Nostrum omnino suffragetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 4. Februarii 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 471.)

V. Num Tres Missae celebrandae in die Nativ. D.?

Vd.: *Orator. priv.* (Missae in variis festiv., decret. Pii VIII.: *Eximia pietas etc.*, diei 29. Jan. 1830; 20. Jan. 1725; p. 461 §. 18).

Licet in Indultis Oratorii privati, quae a Sede Apostolica conceduntur, excipiantur nonnulli dies et signanter dies Nativitatis Domini, quibus permissum non est Missam in eis celebrare aut audire, in nonnullis nihilominus ejusdem Sedis Apostolicae Indultis, quae dantur Infirmis, qui e domo egredi non possunt, non solum dicti dies non excipiuntur, sed expresse permittitur, ut ipsis diebus exceptis et signanter die Nativitatis Domini Missa in praedictis Oratoriis privatis celebrari possit; cumque exorta fuerit dubitatio ejusque examen fuerit ad hanc Sac. Congregationem remissum, an stante antiqua consuetudine a temporibus Telesphori Papae introducta, juxta quam quilibet Sacerdos die Nativitatis Domini tres Missas celebrare potest, possint eadem tres Missae ab eodem Sacerdote celebrari in Oratorio, quod est a Sede Apostolica concessum Infirmo, nec aliquod adsit in Secretaria Brevium monumentum ad hujus dubii resolutionem pertinens, Secretarius hujusce Sac. Congregationis, ne muneri suo deesset, discursum exaravit, eoque benigne perlecto reliquum erit, ut EE. VV. decernere dignentur: *An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa die Nativitatis Domini celebretur, tres Missae ab eodem Sacerdote celebrari*

brandum in Oratorio concesso pro Infirmis unicum tantum Missam celebraret die Nativitatis Domini, quando caeteri Sacerdotes dicta die tres celebrant Missas; nec enim congruum est, ut praedictus Sacerdos primam Missam dicat in uno loco et alias duas celebret ex intervallo et in alio loco; sequeretur ulterius, quod Infirmus a Papa habilitatus ad audiendam in Oratorio Domestico Missam die Nativitatis Domini hac ipsa die unicum tantum Missam audiret, quando eadem die caeteri tres audiunt Missas.

Adversus autem hucusque deducta plura profecto alia opponi possunt ad effectum scilicet demonstrandi, quod unica tantum Missa celebrari possit in Oratorio privato, quod Infirmis conceditur, die etiam Nativitatis Domini.

Utque id ponatur in claris, ponderanda est litera et ponderanda est ratio Indulti, et in eo quidem, quod attinet ad literam; Pontifex in Indulto exponit, se alias Oratori concessisse Oratorium privatum, in quo una Missa celebretur, excepto die Nativitatis Domini et exceptis aliis diebus in dicto Indulti memoratis; cumque Pontifex in eodem Indulto prosequatur asserendo, se velle supplicationibus Infirmi annuere, et idcirco concedat, ut etiam diebus exceptis et sic die Nativitatis Domini praedictam unicum Missam in privato Oratorio audire valeat, verbum illud: praedictam, et eo fortius, si uniatur cum alio verbo unicum, utpote relativum, ad eam unam Missam, quam Orator audire potuisset diebus non exceptis, si non fuisset infirmus, plene ostendit, nullatenus posse die Nativitatis Domini tres Missas ab Infirmo audiri in Oratorio privato, sed unicum tantum Missam in eo Oratorio dicta die esse celebrandam, ut in proximis terminis bene argumentantur Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1. quaest. 635. num. 3.,

Quartus ad Rubr. Missalis dub. 6. pag. 598.

Uno verbo: Pontifex in Indulto pro Infirmo aequiparat diem Nativitatis Domini caeteris aliis diebus, qui non sunt excepti in Indulto, quod conceditur citra casum Infirmi; cumque in terminis hujus postremi Indulti certum sit, diebus non exceptis unam tantum Missam celebrari posse, hoc ipsum dicendum est in terminis Indulti concessi pro Infirmo, quod scilicet die Nativitatis Domini unicum tantum Missa in Oratorio privato celebrari possit. In eoque, quod spectat ad Indulti rationem, nulla alia excogitabilis esse posse videtur, quam ea, quod in tantum Pontifex annuat petitis, in quantum commiserando statum Infirmi, et ne afflictio addatur afflicto, modum ipsi suppeditare intendit, quo devotioni consulere possit, Missam audiendo et praeceptum adimplendo Missam audiendi die adeo celebri, qualis est illa Nativitatis Domini; cumque ad effectum, de quo agitur, satis sit, ut Infirmus unicum audiat Missam die Nativitatis Domini, bene insertur ex his, quod unicum tantum Missa dicta die in Oratorio privato sit celebranda; nulla cadente quoad insinuatum assumptum dubitatione, quod satisfiat scilicet praecepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, unicum tantum Missam eadem die audiendo; quandoquidem certa esse videtur Theologorum opinio, quod secluso Voto, juramento, promissione vel Statuto aut alia obligatione speciali nullus Sacerdos tenetur die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, nec Fideles dicta die tres Missas sed unicum tantum tenentur audire, Navar. consil. primo de celebratione Missarum, Bonacin. oper. moral. tom. primo de Sacr. Euchar. disput. 4. quaest. ultima puncto 11. proposit. prima num. 10.; Castropal. op. moral. tom. 4. tract. 22. disput. unica punct. 7. num. 7.; Sal-

maticenses in cursu Morali tom. 1. tract. 5. de Missae Sacrificio cap. 4. punct. primo num. 9.: *subduntque Scribentes, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenentur tres Missas in Nativitate Domini pro eodem applicare, sed unam tantum, nisi forte Fundator Beneficii seu Capellaniae expresse dixisset, se velle trium Missarum applicationem die Nativitatis Domini*; Fraxinell. de Sacerdotum obligat. ad Missam sect. 4. conclus. 4. §. 21.; Diana in edit. coord. tom. 2. tract. 1. resol. 64. num. 2.; Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 2. quaest. 1133. num. 2. et 3.: *et sola remanet quoad Parochos dubitatio, cum nonnulli absolute dicant, eos dicta die teneri tres Missas celebrare propter populi utilitatem et devotionem*, Persic. de divinis offic. lib. 1. dub. 15. num. 128. pag. 221.: *et alii in ea sint opinione, quod secluso scandalo aut contemptu Parochi praedicta die non teneantur ad tres Missas celebrandas*; Leander. oper. moral. part. 2. tract. 8. disput. 5. quaest. 20.

Hisque positis non obstant ea, quae pro trium Missarum celebratione ponderata fuerunt; non obstat, inquam, primum, quod scilicet, sicuti non obstante juris prohibitione, tres Missas celebrantur die Nativitatis Domini, ita hoc ipsum fieri possit, non obstante prohibitione Indulti; jus etenim prohibet caeteris diebus plurium Missarum celebrationem ab uno et eodem Sacerdote faciendam, et jus ipsum permittit unicuique Sacerdoti celebrationem trium Missarum die Nativitatis Domini, et e contra Indultum prohibet in Oratorio privato plurium Missarum celebrationem, non tantum aliis diebus sed etiam ipsa die Nativitatis Domini, ut supra probatum est, ita ut disparitas inter unum et alium casum sit evidentissima.

Nec est majoris roboris secundum, quod plurium Missarum celebratio non sit clare in Indulto prohibita, ex quo fit quidem mentio unius Missae, sed sine particula tantum vel dumtaxat; primo quia numerus de sui natura est taxativus, ita ut, qui dicit unum, duo excludat, et de facto si quis diceret, sex esse Sacramenta, puniretur uti Haereticus tanquam scilicet negans catholicam veritatem de septem Sacramentis a Christo Domino institutis; secundo, quia in terminis indulti, de quo agitur, Doctores firmiter asserunt, unam Missam et non duas aut plures in Oratorio privato celebrari posse, Pellizar. in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 2. num. 144., Anaclet. ad lib. 3. decretal. tit. 41. de celebrat. Missarum; tertio, quia prava Indulti intelligentia, de qua in contrario argumento, de medio sublata fuit a Decreto hujus Sac. Congregationis edito anno 1703 et confirmato a san. mem. Clemente XI. et per extensum relato in Bullar. p. 540 et seq., ubi ad exclusionem plurium Missarum eadem die celebrandarum in Oratoriis privatis sic legitur: *in reliquis vero diebus, sermo est de diebus, qui non sunt excepti in Indulto Oratorii privati, praedictis Regularibus seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in privatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super qua celebraturus teneatur diligenter inquirere et de eo se optime informare.*

Consimilis generis est tertium, quod tres Missae diei Nativitatis Domini haberi valent pro una, sunt enim tres Missae realiter inter se distinctae, uti sunt realiter distinctae plures Missae, quae eodem die celebrantur ad recolenda plura Dei beneficia, hoc est quando una celebratur pro Festo, alia pro jejuniis et alia pro mortuis, uti

prosequitur Divus Thomas loco supra citato.

Neque majoris roboris est quantum, quod in horum Indultorum interpretatione non sit stricte procedendum, haec quippe Indulta sunt contra Jus, ita ut in eorum interpretatione stricte sit procedendum, ut in puncto docent *Capon.* discept. 183. num. 67., *Monacel.* in formul. legal. tom. 4. pag. 85. num. 468. et in tantum, excepta prima festivitate Paschatum, in reliquis aliis immediatis earundem festivitibus Missae celebrantur in Oratoriis privatis, in quantum pacifica et antiqua observantia Superioribus ecclesiasticis cognita et ab illis non improbata; sic interpretata sunt verba Indulti, uti bene docent *Pasqualig.* et *Gavantus* locis supra allegatis; cumque haec circumstantia in casu, de quo agitur, non concurrat, et verba Indulti in hac parte sint clara nec indigeant interpretatione, nemo est, qui non videat, non posse ab uno ad alium casum inferri.

Ultimum superest ex adverso excitatum objectum, quod Sacerdos scilicet unicam tantum Missam celebraret et Infirmus unicam tantum Missam audiret, quando die Nativitatis Domini tres Missae a caeteris Sacerdotibus celebrantur et a caeteris Fidelibus eadem die tres Missae audiuntur; in primis etenim juxta dicta in Superioribus *pro adimplemento praecepti satis est, quod Sacerdotes unam Missam die Nativitatis Domini celebrent et Fideles unam Missam audiant eadem die;* adeoque Doctores figurantes casum, *quod Sacerdos unam tantum Missam celebrare velit die Nativitatis Domini, dicunt, quod tenetur celebrare tertiam, Piscar.* in praxi Caeremoniarum lib. 3. sect. 2. cap. 4. num. 9. *et alii magis ample procedendo sustinent celebrare debere aut primam aut tertiam, Pelliscar.* in manual. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 1. num. 101.

Rursus in fortioribus receptum vidimus, quod in aliquo casu die Nativitatis Domini Sacerdotes abstinent a celebratione etiam unius Missae, puta si in Missa solemnii Diaconi aut Subdiaconi munere fungantur, uti passim fit in Capella Pontificia et in Basilicis Urbis, et Sac. Communionem a celebrante recipiant; non solum enim in dicto casu possunt, sed tenentur a Missae celebratione ea die abstinere; *Cardinalis de Lugo* de Sac. Euchar. disput. 20. sect. 2. num. 43., *Tamburin.* de Sacrif. Missae lib. 1. cap. 6. §. 3. num. 6., *Diana* in edit. coord. tom. 1. tract. 1. resolut. 96. num. 2. et seq.

Et quod omnem tollit difficultatem, est, quod Sacerdos, qui primam Missam celebravit in Oratorio privato Infirmi, bene potest in aliis Ecclesiis reliquas duas Missas celebrare; in terminis etenim primae Missae, quae nocte Nativitatis Domini canitur in Ecclesiis, prohibitum est a Decretis Congregationis Sac. Rituum et Sac. Visitationis, quod aliae duae immediate canantur et quod Fidelibus media nocte confluentibus Eucharistia exhibeatur, *Mattheucc.* in offic. Cur. Eccles. cap. 10. §. 2. num. 65., *Schmalzgruber* ad lib. 3. Decretal. tit. 41. de celebr. Missae num. 40. in fine, *Monacell.* in formul. legal. par. 2. pag. 160. num. 16. et seq., *Ursaya* instit. Criminal. lib. 1. tit. 10. §. 2. num. 65. Reliqui vero Sacerdotes privatim Missam celebrantes possunt tres Missas die Nativitatis Domini celebrare cum intervallo aut sine intervallo, ut in puncto docet *Silvester.* in sum. in verbo: Missa, primo num. 7. Et quando possunt cum intervallo celebrare, nil prohibet, quin Sacerdos post celebratam die Nativitatis Domini primam Missam in Oratorio infirmi subsistat et post tempus sibi benevisum in alia Ecclesia celebret duas alias Missas eadem die Nativitatis Domini.

Atque haec dicta sint sub censura, salvo semper etc.

Die 16. Decbr. 1724.

VI. Utrum Missa in Nocte Nativ. D. celebranda?

Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum.

Quum in Eccl. adjecta Collegio Novitiatus Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum in Civitate Januen. in Nocte Nativ. D. nec Divina Officia nec solemniss. Missa locum habeant, id grave admodum experiens hodiernus Collegii ipsius Superior propriae et Novitiorum pietati satisfactorius superiori anno 1847 in hac ipsa sacratissima Nocte post Matutini recitationem Missam cum cantu celebravit in Novitiatus ipsius Sacello, ratus id exequi posse vi Privilegiorum Regularibus concessorum. Verum quum diversae circumferantur super facto opiniones inter Alumnos Collegii ipsius ac ex eis aliquis contendat id omnino non licere, quia vetitum est in solemnitate illa celebrare in privatis Sacellis et quia Sacellum istud non inservit Religiosae Familiae sed Novitiis tantum; ut indubia habeatur declaratio, quae futuris etiam temporibus, veluti norma servetur, S. R. C. super facto ipso de sententia rogata in Ordinariis Comitibus hodierna die ad Quirinale coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis consideratisque rescribendum censuit: „Posse juxta exposita.“

Atque ita rescribere rata est et declarare.

N. 5139. Die 22. Julii 1848.

Leo PP. XII.

Dil. Filio Equiti Balth. Solazzi.

Exponi Nobis nuper curasti, quod alias auctoritate apostolica sub certis modo et forma tunc expressis, tibi,

uxori tuae tuisque filiis et descendens masculis per lineam masculinam indultum fuit, ut in privatis domorum vestrae habitationis oratoriis sacrosanctum Missae sacrificium in vestra familiaeque vestrae praesentia celebrari facere possetis et valeretis, prout in apostolicis desuper exeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem cum tu, ad tuae tuorumque devotionis augmentum spiritualeque profectum et consolationem plurimum cupias sacrosanctum Missae sacrificium juxta Ecclesiae ritum *nocte Nativitatis D. N. J. Chr.* in privatis oratoriis hujusmodi celebrari facere, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi tuisque omnibus, quibus superius memoratae apostolicae literae favent, ut in iisdem privatis domorum vestrae habitationis oratoriis *in Nocte Nativitatis D. N. J. Chr.* unam missam hora tamen consueta juxta ritum Ecclesiae nempe post mediam noctem ac post auroram ejusdem noctis alias duas missas juxta ritum eundem celebrari solitas celebrari facere libere et licite possitis et valeatis, servata tamen in reliquis praedictarum ap. literarum forma et dispositione auctoritate Nostra apost. concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 7. Decbr. 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 285.)

g) Publicum.

1) Celebratio Missae.

Vd.: *Oratorium Confrat.* (decr. n. 3451 et 10. Decbr. 1703); *Orator. privat.* (decr.

1. Febr. 1847; 17. Aug. 1709); *Credo in missa Titul. capell. publ.*; *Titul. capell.*; *Sabb. s.* (Missa priv. decr. de die 11. Febr. 1690); t. II. p. 472.

Plebanum in sua tantum Ecclesia non vero in Oratoriis posse prohibere, ne presbyteri ante ipsum Missam celebrent. n. 781 die 20. Novbr. 1628.

Non posse prohiberi missam in diebus festis in Oratorio ante missam conv. in parochia celebrare. n. 1259 die 21. Aug. 1640.

De rigore juris non potest prohiberi a parochia, ne in publico Oratoriis, sitis intra suae parochiae fines, missae celebrentur ante missam paroch. ; sed constitutiones synodales contrarium disponentes sunt observandae. S. C. C. 28. Jan. 1640; 25. Maii 1652. (Benedict. XIV. de Synodo.)

Licet in Oratoriis publicis missam canere solemnibus anni diebus praeterquam fer. V. et Sabb. s. hebdom. maj. S. C. C. 13. Jan. 1685.

Non licet in Oratoriis publicis exdras retinere ad confessiones excipiendas nec asservare SS. Sacramentum. S. C. C. 27. Junii 1744.

Vd.: *Confessionale*; *SS. Sacram.* (asservatio).

Ad dubium I.: An Oratoria in hospitalibus caeterisque piis locis absque Episcopi auctoritate erectis constituta in prohibitione Concilii Trid. comprehendantur? Et quatenus affirmative;

II. An sub eadem prohibitione contineatur Orphanotrophium in casu?

S. C. C. resp. ad I. Negative; ad II. Provisum in primo. Die 27. Martii 1847.

Vd.: *Capella dom.* (Erectio et benedictio.)

Monasterien.

Dum superiori anno 1843 Joannes Henricus Afhippe ex Parochia Wa-

randorf. intra fines Dioec. Monasterien. Apost. rogavit Indultum, ut in suo publico Sacello Deo in hon. S. Joannis Bapt. dicato in Dominicis etiam aliisque festis diebus a sibi beneviso Sacerdote Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, quin in minimo Parochialia jura laedantur, S. R. C. ipsius preces pro Infirmatione et Voto Rmo Monasterien. Ep. transmisit; nam ex ordinaria Antistitis facultate Indultum ipsum pendebat et nec sibi persuadere poterat a religiosissimo Praesule absque legitima causa hujusmodi licentiam denegari. Prudens consilium istud pergratum admodum fuit Monasteriensi Ep., ut in suis Literis datis pridie Kal. Maii vertentis anni apparet; queis quidem Literis S. ipsam R. C. certiore reddit ingenue, privilegium Oratorii concessum a se ita ad Dominicas festosque dies de praecepto non extendi, quia sine praejudicio et detrimento Eccl. Parochialis neutiquam remotae, in enunciato Sacello Missa celebrari non potest, ex eo potissimum, quia Fideles in casu Concionem negligenter ac caetera Parochialia exercitia, veluti pluries Oratori ipsi communicatum fuit et insimul injunctum, ut singulare ecclesiasticum Beneficium pro ipsius Sacelli Dote fundaret. Quae quidem rationum momenta ab eodem Rmo Ep. proposita adeo gravia S. ipsa C. agnovit, ut in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum subsignata die habitis, referente Secretario, rescripserit: „Juxta Votum Episcopi“, id est repetitum Indultum Oratorii denegandum omnino existimavit.

N. 5015 die 14. Junii 1845.

Clemens PP. XIII.

Ven. Fr. Episcopo Celsonensi.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Universitatis Studii Generalis Oppidi Civitatis

nuncupatae di Cervera Celsonen. Dioecesis, quod in aedibus Universitatis hujusmodi splendide ac magnifice extractis a Cancellario Universitatis praedictae, cui pro tempore existenti jurisdictione tam civilis quam criminalis in Scholares, Professores aliosque Ministros dictae Universitatis per fel. rec. Clementem PP. XII. Praedecessorem Nostrum tradita reperitur, Capella decenter constructa numerisque omnibus ad sacrosanctum Missae Sacrificium ibidem celebrandum absoluta existit: proindeque Exponentes praedicti pro ejusdem Cancellarii pro tempore existents ipsiusque familiae spiritali consolatione in ea praedictum Missae Sacrificium celebrari facere posse plurimum desiderant. Nobis propterea eorumdem Exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes ac praedictam Universitatem optimis praesertim Ecclesiasticarum aliarumque scientiarum et ingenuarum artium studiis maxime florentem auctoritatis Nostrae muneribus decorare volentes hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis moderno et pro tempore existenti Cancellario Universitatis hujusmodi, in dicta Capella aedium praedictarum ad hoc decenter extracta et ornata seu extruenda et ornanda ab omnibus domesticis usibus libera per te prius visitanda et approbanda deque tui licentia arbitrio duratura unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem aedibus celebrandi licentia, quae adhuc daret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque Sacerdotem a te approbatum Saecularem seu de Superiorum suorum licentia Regularem sine tamen quorumcumque jurium

Parochialium, praejudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostrae Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua ac familiae suae praesentia celebrari facere libere et licite possit ac valeat, licentiam auctoritate Nostra Apostolica arbitrio tuo concedas et indulgeas.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod alii praeter supradictas personas ibidem Missae hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae die 12. Martii 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 52. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut dilecti filii pii fideles de Flassa Gerunden. dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in Deiparam afficiuntur devotionis, affectu, ejusdem cultum et venerationem dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut posthac in oratorio publico domus de Vineals dicti loci die 16. mensis Julii festum Commemorationis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo agatur cum omnibus Missis propriis de eadem commemoratione, etiamsi occurrat in eodem die festum triumphus sanctae Crucis, non dummodo tamen off. triumphus s. Crucis

possint, vel unica tantum Missa sit celebranda in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 2. Decbr. 1724 et 13. Jan. 1725.

Discursus Secretarii S. C. C. circa tres Missas celebrandas vel non celebrandas in die Nativitatis Domini in illis Oratoriis privatis, in quibus dicta die Missa ex Indulto Apostolico celebrari potest.

Ad tramites Synodi Agathensis, de qua in *Canone 35. de Consecrat. dist. 1.* ubi decernitur, quod si quis Oratorium habeat in Agro, possit in eo cum sua familia Missam diebus festis audire excepto Paschate, excepta die Natali Domini, exceptis Epiphania, Ascensione, Pentecoste et Natali S. Joannis Baptistae, et si qui alii dies inter magnas festivitates habeantur, consuevit Sedes Apostolica in concessione Oratoriorum privatorum nedum dictas solemnitates sed alias etiam excipere, ita ut dictis solemnitatibus nec liceat Sacerdoti in Oratorio privato celebrare nec liceat aliis in eodem Oratorio Missam audire. Quia vero aliquando haec Oratoria privata a Sede Apostolica conceduntur *ex causa infirmitatis et quoad Personas infirmas*, quae e domo exire non possunt, absque sonum esset dies solemniores excipere, uti ponderat *La Croix Oper. Moral. tom. 2. lib. 6. part. 2. num. 271.* Hinc est, quod eadem Sedes Apostolica *infirmis laborantibus* concedere consuevit, ut Missam in Oratorio privato audire possint etiam diebus illis solemnioribus, qui in aliis concessionibus excipiuntur.

Et formula consimilis concessionis pro Infirmis est haec, quae sequitur: *Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, alias tibi asserenti te Nobilem existere, auctoritate Apostolica sub certis modo et forma tunc expressis indul-*

tum fuerit, ut in privatis Domorum tuae habitationis Oratoriis etc. unam Missam pro unoquoque die, Paschatis tamen Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini etc. festis diebus exceptis, in tua ac familiae tuae praesentia celebrari facere ac libere et licite posses et valeres etc. Tu vero cum quibusdam corporis infirmitatibus labores, propter quas Domo etiam diebus supra exceptis Missam audiendi causa egredi non potes etc., nos te specialibus volentes etc., tibi, ut durantiis infirmitatibus hujusmodi, praedictam unicam Missam in privatis Oratoriis supradictis etiam diebus uti supra exceptis, si in illis propter corporis infirmitatem Domo Missam audiendi causa egredi non potes, ut praefertur, in tua ac unius Personae servitiis tuis necessariae dumtaxat praesentia celebrari facere libere et licite possis etc., tenore praesentium concedimus et indulgemus.

A qua formula occasio nascitur dubitandi: an habentibus usum Oratorii privati ex causa infirmitatis et absque exceptione diei Nativitatis Domini permissum sit necne, tres Missas ab uno eodemque Sacerdote in dicto Oratorio die Nativitatis Domini audire vel unica tantum Missa contenti esse debeant.

Et quidem, quod dicta die permissum esse possit habentibus Oratorium privatum in eodem tres Missas audire die Nativitatis Domini, nonnulla facere posse videntur. Primum est, quod non potest Sacerdos pluries eodem die celebrare juxta *Textum in cap.: consuluisti et in cap.: te referente de celebratione Missarum*, cum quibus concordat *alius Textus in Canone: sufficit de Consecrat. dist. 1.*, cumque non obstante hac prohibitione permissum sit Sacerdotibus die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, uti colligitur *ex Textu in Canone: Nocte de Consecrat. dist. 1.*, et quatenus id ex

dicto Textu non probetur, desumitur ex antiqua consuetudine, quae Teste S. Gregorio in Homilia de Nativitate Domini initium habuit tempore Telesphori Papae, licet hujus Pontificis Constitutio, quae consuetudini fomentum dedit, sit deperdita, et non reperitur, uti prosequitur *Gonzal. in cap. Consulvisti lit. B. de celebr. Missarum*, ex quo inferri posse videtur, licitum esse tres Missas audire in Oratorio privato die Nativitatis Domini, licet Apostolicum Indultum unicam tantum Missam etiam dicto die restrictum esse praetendatur, ne plus videlicet operetur Indulti, quam juris communis et Sacrorum Canonum prohibitio.

Secundum est, quod non est ita clarum, quod in Indulto prohibeatur celebratio trium Missarum die Nativitatis Domini, tum quia in Indulto fit quidem mentio *unius et etiam unice* Missae, sed absque particula *dumtaxat*, quae in Indulto est apposita, quando sermo est de Persona, quae insimul cum Infirmo Missae assistere potest, *in tua ac unius personae etc. dumtaxat praesentia celebrari facere libere et licite possis*, et quando fit mentio unius Missae sine particula *tantum vel dumtaxat*, probabilis est opinio, quod plures Missae prohibitaee non intelligantur, juxta *March. in resolut. miscell. cas. 33*, et quatenus vox *una* aut *unica* etiam sine particulis *tantum* aut *dumtaxat* esset plurius Missarum exclusiva, id tamen commode referri potest ad plures Missas a pluribus Sacerdotibus eadem die et in eodem Oratorio celebrandas, et non ad plures Missas eodem die ab eodem Sacerdote et in eodem Oratorio celebrandas, die videlicet Nativitatis Domini, in quo juxta supradicta tres Missae a quolibet Sacerdote celebrantur.

Tertium est, quod tres Missae diei Nativitatis Domini haberi quodammodo

possunt pro unica Missa, ex quo videlicet in tribus praedictis Missis Christi Nativitas semper recolitur, aeterna videlicet, temporalis, sed spiritualis et temporalis insimul et corporalis juxta doctrinam Divi Thomae 3. part. quaestio 83. art. 2. *ad secundum*; ibi: *in die autem Nativitatis plures Missae celebrantur propter triplicem Christi Nativitatem, quarum una est aeterna, quae quantum ad nos est occulta; et ideo una Missa cantatur in nocte etc. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, et propter hoc cantatur Missa in Aurora. Tertia est Christi Nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero Virginali carne indutus.*

Quartum est, quod in Indulto, de quo nunc agitur, non videtur esse stricte procedendum; quocirca licet in Indulto, quo citra casum infirmitatis conceditur usus Oratorii privati, excipiantur dies Festi, Paschatis signanter Resurrectionis et Pentecostes, sub quorum tenore verborum non tantum prima dies utriusque Paschatis sed etiam duae immediatae utriusque Paschatis festivitates comprehenduntur, passim nihilominus admissum est, ut in praedictis Oratoriis excepta prima die utriusque Paschatis Missae celebrentur in duabus immediate festivitatibus tam Paschatis Resurrectionis quam in aliis Pentecostes, *Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1. quaest. 639. num. 2.*, *Gavant. in Thesaur. Sac. Rituum part. 1. tit. 20. §. Ordinarii Locorum*, et quando stricte non est procedendum in horum Indultorum interpretatione, nil prohibet, quin in sequelam Indulti, quod Infirmis conceditur, tres Missae in iisdem celebrari valeant in die Nativitatis Domini.

Ultimum est, quod alias discurrendo sequeretur absurdum; sequeretur etenim, quod Sacerdos vocatus ad cele-